



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Philippus Archintus Ep. Salassiorum n. 22

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

22. A PHILIPPO ARCHINTO *Salassiorum Episcopo, & Alma Urbis Vicario, ad quem cum Ioannes de Vega Sicilia iam Prorex in Ignatij, Societatisque commendationem scripsisset, sic ipse rescripsit*: Pergratum quidem sibi fuisse commendationis Officium; sed ita si suum vicissim, cum commendaret Ignatium, & eius familiam, pari animi affectu, voluntateque susciperet; venia insuper postulata, si cum eo de Societatis amore certaret. *Sic Ibid. lib. 7. n. 1.*

*Eximius Archinti amor erga Societatem*

23. A BARTHOL. TORRES *Episcopo Canariensi cuius aurea est de Exercitiorum libello sententia, & de Societate opinio, & existimatio.* Testis (*inquit*) est Deus, quam ex voluntate mea acciderit, ut de Societatis IESV Exercitijs sententia mea postularetur. Cupio enim simpliciter, & Christiane quid in hac re sentiam, palam facere toti orbi terrarum. Ac primum ne quis existimet ex priuato me quoque affectu loqui, aio me hominem de Societate IESV non esse: quanquam si serio esse virtutis cupidus, dudum in ea, vel in alia sanctarum Religionum versarer. Aio deinde, quamuis Doctorum è numero ipse sim indoctissimus, posse me tamen satis interrogationi propositæ respondere; cum & Societatem ab eius exortu nouerim, & pridem Salmanticæ cum Ignatio, deinde cum eius disciplinæ alumnis per familiariter egerim, diligenter obseruans, quo res Ordinis huius euaderent, oculis assidue ipsa in facta coniectis, quæ minime patiuntur diuturnam fieri fallaciam. Aio præterea, ex qua die sanctam hanc Societatem noui, nullum vnquam errorem, crimenque compertum in hominibus, qui quidem verè ex ea essent. Nam rerum imperiti, ubi de Sacerdote quoque forte rumor minus commodus exiit, de Societate esse eum loquuntur. Super hæc, nego quempiam verè ac perfectè exercitiorum posse vim existimare, nisi in ijs se ipse exerceat. Etenim cum tota referantur, ad inferendas virtutes in animis, & vitia extirpanda, nemo est, qui possit virtutis percipere vim gustumque sentire, nisi in ea prius elaboret. Vidi ipsemet homines doctos, qui Exer-

*Turriani Episcopi Exercitiorum libelli commendatio.*

*Ad quorum rectam intelligentiam necessarius eorum usus.*